UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina Evangelica De Meditatione mortis

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Protestatio hominis Christiani ægroti. xiiij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46214

Visual Library

Eſa. 53. noſtras ſuſcipere vt ſanaret, dolores noſtros vt auferret, portare dignatus eſt: ipſe pro nobis ſuum ſanguinem fudit: ſuam pro vita noſtra mortem obtulit. Ipſe magnis peccantium admiſſis, magna pœnitentiæ remedia oſtendit: ipſe rogari vt præſtet, amat: qui animos inopum ad
Luc. 11. ſe rogandum largus donator erigit, dicens: *Omnis qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur.* Non ergo dubitandum, quòd petentes accipimus: quærentes inuenimus: pulſantibus nobis aperietur: quia nimirum fallere non potuit Veritas quæ promiſit.

PROTESTATIO HOMINIS CHRISTIANI ÆGROTI.

CAPVT XIIII. Ex Ioan. Lanſp. & Lud. Bloſio.

EGo miſer & infelix peccator, redẽptus tamen pretioſo Sanguine D. N. Ieſu Chriſti, per magnam ipſius erga me Dilectionem, non meum meritum: Proteſtor coram omnipotenti Deo, & tota Curia cæleſti, me cupere & velle in ea Fide vitam hanc finire in qua conuenit obedientem S. Eccleſiæ Catholicæ filium mori. Credo & confiteor vniuerſas & ſingulas partes Fidei Chriſtianæ, duodecim Articulis, vel apertè expreſſas, vel rationabiliter incluſas: ſecundum quod à Spiritu ſancto per duodecim Apoſtolos veritate Euangelicæ nobis traditi ſunt. Ad hæc credo, & adhæreo illorum interpretationibus ſeu declarationibus, non quorũuis aut quibuſuis: ſed iis, quæ per ſanctos Patres editæ, à S. Conciliis approbatæ & confirmatæ ſunt. Et generatim credo quidquid verè Chriſtianus credere debet. Hanc
Epheſ. 6. immobilem & firmam Fidem tenere volo, tanquam firmiſſimum & inuictiſſimum aduerſus omnes Satanæ aſſultus & inſidias, Scutum. Quapropter, ſi vel hoſtis impugnatione, vel morbi violentia preſſus, aliquid huic propoſito contrarium cogitarem, loquerer, aut facerem:

iam illud reuoco, & conteſtor nullo modo conſentire me talibus cogitationibus, verbis, aut operibus. Quod verò in me eſt, ignoſco & remitto omnes iniurias & moleſtias mihi quomodocunque illatas: idipſum humiliter petens mihi fieri ab his, quos vel verbis vel factis vnquam offendi. Agnoſco autem me hactenus non purè nec ſanctè vixiſſe coram Domino Deo, ſicut viuere debueram. Agnoſco ſcelera mea multa nimis. Agnoſco culpas & negligentias meas infinitas. Agnoſco quidquid mali per omnem vitam meam commiſi: & ſupplici mente miſericordiſſimo Domino Deo noſtro veniam peto: dolens, quòd vnquam eum offenderim. Quamuis autem grauiter, & multis modis deliquerim: non tamen diffido de benigniſſima Miſericordia Redemptoris mei: ſed ſpero me per Meritum, non meum, ſed Paſſionis & Mortis eius, participem futurum æternæ Vitæ. Itaque gratias ago miſericordiſſimo Creatori meo, pro omnibus ſuis in me beneficiis in Chriſto Ieſu exhibitis: commendoq; animam meam in manus eius: quieſcens in amaritudine Paſſionis Domini & Saluatoris mei Ieſu Chriſti. Cui laus & honor, in perpetuum. Amen.

PRECATIVNCVLA.

Sancta Trinitas, conſerua hanc Fidei meæ incõtaminatam religionem: & vſque ad exceſſum ſpiritus mei, dona mihi hanc Conſcientiæ meæ vocem, vt quod in regenerationis meæ Symbolo, baptizatus in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, profeſſus ſum, ſemper obtineam. AMEN. Hilar. lib. 12. de Trinitate. Matt. 28.